

Wenceslai Imp. primo Medicum dein a. 1411. Archiepiscopum *Pragensem*, qui, si *Bibliothecae Gesner.* fides, scripsit *Prædicam medendi* et *Regimen pestilentiae*, item *Regimen sanitatis*, seu *hominis*, quod *Lipsiae* 1484. 4. excusum est, ubi et *Vetularii* nomen gerit, quae compellatio confirmatur e *Cod. Caesareo* inter *Medicos* N°. CXXIV. suo tempore et ordine recensendo. At vero tam in hoc *Codice*, quam in praesente nostro *to Hec ex Albico.* Item *Albicus* &c. ostendit, Excerpta et Interpolata *Albici* potius in his *Codd.* haberi, quam integra *Opuſcula*, cumque *Lipsiensis* Editio ad manum mihi non sit, dispicere non possum, ad quale illorum pertineant ea, quae hic indicavi. Autoris Vitam concinnarunt Editores *Effigierum Doctor. et Artiff. Bob. et Morav.* lingua germ. *Praegae* T. II. a. 1775. p. 82. 8.

XVII. a fol. 261. ad finem operosi Voluminis varia Morborum Remedia occurrunt, in quibus, ut in praecedentibus *Albici*, multa Vocabula *Germanica* veteris Linguae Curiosis praesto sunt; ad compingendum vero adhibitum est eleganter exaratum Segmentum quoddam Libri precatorii *Hebraeorum.*

DCCCCXL.

R.14 Codex chartaceus lat. ital. Sec. XVI. Folior. nunc 320. 4. maj. olim Conventus FF. *Augustianorum S. Joh. de Carbonaria Neapoli*,⁷ cujus filius, ut vocant, fuit

vir celeberrimus *Hieronymus Seripandus Neapolit.* per omnes Ordinis sui Praefecturas ad *Salernitanas* Infulas, Purpuramque *Romanam* evectus, magnaëque in *Tridentino* Concilio auctoritatis, in quo Pontificis Legatus a. 1563. diem clausit, complectitur *Partem I. Adversariorum* hujus Theologi de dicto Concilio, cujus contenta hic edisseram: *Fol. 1.* initio mutila *Summa Sententię de iustificatione dicta in Congregatione Generali Die XIII. Julij. MDXLVI.*

Fol. 4. *Sententia dicta in Congregatione Generali die XXIII. Julij. MDXLVI.* De eodem Argumento.

Fol. 9. p. 2. *Sententia dicta in Congregatione Generali die VIII. Octobris. MDXLVI.* Pariter de Justificatione.

Fol. 12. p. 2. *Sententia dicta in Congregatione Theologorum de corpore Concilij Die XIII. Decembris MDXLVI.*

Fol. 13. p. 2. *Sententia quę dicenda erat die X. Decembris non dicta usque ad diem XVIII. in Congregatione Theologorum de corpore Concilij.*

Fol. 14. p. 2. *Sententia dicta in Congregatione Theologorum de Corpore die XXVIII. Decembris MDXLVI.*

Fol. 15. p. 2. *Sententia de Justificatione dicta ab Episcopo Oscensi. Erat is Petrus Augustinus magni Ant. Augustini frater. Atque hætenus de Justificatione. Deinceps*

Fol.

Fol. 18. p. 2. *Sententia de Sacramento in genere, Baptismo et Confirmatione dicta in Congregatione Generali die XIX. Febr. MDXLVII.* Comprehenduntur hic etiam *Articuli* de singulis damnandi, declarandi, additi, praetereundi, item *Canones*, et *Articuli ex Libris Haeticorum.*

Fol. 35. p. 2. *De Veritate Corporis et Sanguinis Domini in Eucharistia, deque administratione et usu eius. Per A. (Ambros.) Pelargum. Vir erat Ordinis Praed. Archiepiscopi Trevir. Procurator Tridenti.*

Fol. 36. p. 2. *Canones de Sacramento Eucharistiae. Per F. H. Puto Fratrem Hieronymum, ipsum videlicet Seripandum, tunc nondum Cardinalem, sed Priorem gen. sui Ordinis.*

Fol. 37. *Canones de Sacramento Eucharistiae approbati et conclusi in Generali congregatione ultima Maji MDXLVII. Bononiae publicandi in sessione ut iacent. Accedunt Articuli damnandi, item Examini Theologorum exhibiti de eodem.*

Fol. 40. *Canones de Sacramento Penitentiae. Cum erroribus circa id adfertis.*

Fol. 42. *De Missa. Enumeratio errorum circa eam adfertur.*

Fol. 43. p. 2. *Articuli de Sacramento Penitentiae et partibus, eius, et Indulgentiis. Item de Sacramento Ordinis, matrimonij et extreme Unctionis ex libris Haeticorum decerpti. Fol. 48. describitur: Bononiae MDXLVII.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

Fol. 50. *De Sacramento Penitentiae et eius partibus per A. Pelargum. Sunt Αναθεματισμοι.*

Fol. 51. *Canones de Sacramento Poenitentiae concepti per F. H. (ut supra) extra ea quae proposita sunt Theologis ex Libr. Bab. puta Lutheri de Captivitate Babyl. Accedunt alii de reliquis Sacramentis.*

Fol. 54. p. 2. *De uotis monasticis Articuli dati Theologis discutiendi Bononiae VIII. Octobris MDXLVII.*

Fol. 55. *Articuli de matrimonio, Ordine, Unctione extrema propositi Theologis die XXV. Aprilis MDXLVII.*

Fol. eod. *Articuli Theologis propositi de Purgatorio, Indulgentiis ac Missa Bononiae a XXII. Junij usque ad finem Augusti MDXLVII.*

Fol. 56. p. 2. *An Papa possit dispensare in solemnibus uoto continentiae quacumque ratione emisso. F. H. Intellego ipsum Seripandum.*

Fol. 59. *De Missa, Matrimonio, Ordine, Uotis, Adoratione Eucharistiae. Ex Augustino.*

Fol. 62. *Sententia Bononiae dicta in Congregatione Generali die XXII. Septembris. MDXLVII. De Matrimonio.*

Fol. 67. p. 2. *Sententia dicta in Congregatione generali die III. Octobris MDXLVII. De gratuita Administratione Sacramentorum.*

Fol. 71. *Sententia Bononiae dicta die XII. Octobris MDXLVII. In Congregatione Theologorum de Corpore Concilij, et Ca-*

Mm

noni-

nonistarum. De Matrimonio. Accedunt Proposita A. R. Episcopi (Acienfis Benedicti) de Nobilibus de Diffolubilitate Matrimonii cum eorum Solutione. Atque ita, ne singulis immorer, sequuntur Sententiae Bononiae dictae circa Simoniam, Abusus in Sacramentorum Tractatione &c. usque ad diem XXVIII. Febr. MDXLVIII.

*Fol. 128. Meditatio circa Cesaris protestationem. Eam nempe, qua Carolus Concilium Tridento reddi postulabat. Acris Seripandi Oratio in Consiliarios, ut fieri solet, Principis, quae infit: *Vellem hac de re, de qua mihi hodie dicendum est, dicere quidem, sed audiente Carolo Cesare Imperatore inuidissimo Rege Catholico, et quantum haecenus ex eius gestis iudicare possumus, ueritatis amico, atque hereticorum hoste acerrimo. Meminit Orator Concionum suarum coram Carolo olim habitatum Neapoli.**

*Fol. 138. Gasparis Card. Contareni de Justificatione Epistola. Extat in Opp. ejus Paris. 1571. f. editis; sed nobis adduntur Observationes quaedam, atque has inter Annotatio Card. Regin. Poli. Abest item ab Editis Principum Epistolae, quod incipit: *Accepi literas tuas, quae mihi fuerunt gratissimae &c. et ad lineas 13. excurrit.**

Fol. 153. Fratris Christophori Patauini O. Erem. S. Aug. Procuratoris Materia de Justificatione. Sententiam rogatus a Concilio V. eam Quaesitis exponit.

Fuit is Seripandi in Prioratu gen. Ordinis Successor a. 1551.

*Fol. 160. p. 2. De Formula Interim Sequentia: *Judicium per F. H. id est Seripandum. Correctiones per Cesareos, priusquam publicaretur. Philippi Melanctonis Judicium ad Mauritium Ducem. Responso Electorum. Principum et Statuum. Cardinalis (Joh.) Bellay.**

Fol. 177. titulo Quaestionum Synodaliū prolixa Disputatio de Potestate Concilii et Papae, auspiciū sumens a Decreto Conc. Constant. Sess. IV. quod primum defenditur, deinde in favorem Papae impugnatur. Autor taceatur.

Fol. 211. Acta Concilij Tridentini sub Julio III. MDLI. Sess. III. Decreta videlicet et Canones de Eucharistia et Reformatione, ut Collect. Concill. Labb. edit. Venet. T. XX. col. 80.

Fol. 221 Decreta Publicata in Sess. IV. Nempe de Poenitentia et extrema Unctione, ut T. cit. col. 91. In his et praecedentibus, quae in Editis Reformationis Capita vocantur, in Codice Canones audiunt.

*Fol. 238. Summa Decretorum Concilii Tridentini sub Paulo III. ab a. 1545. ad a. 1547. Enumeratio Pertinentium ad Reformationem, quae per Concilium terminata sunt. *Salvus Conductus* datus Protestantibus. XXV. Jan. 1552. ut T. cit. col. 108.*

Fol. 243. Articuli secundi di Riforma decretati da N. S. portati da Mons. di Lanciano. Fuit

is *Leon. Marinus*, de quo *Pallavicinus* in *Hist. Conc. P. II. L. 17. c. 1. 2.* Adumbratio Articulorum ventilandorum in Concilio de Episcopis, Clericis Canonicis, Ecclesiis &c. numero XXX. Amanuensi non temere fidendum docet Art. 13. *Presbyterorum filij ad sacros ordines non promoveantur, nisi (si) paternę incontinentię imitatores fuerint &c.*

Fol. 247. Doctrina de Sacrificio Missę cum Articulis, Canonibusque, Et de Eucharistia Articuli, Canonesque aliquot Tridenti sub Julio III. examinata, sed non conclusa. Additur XX. Jan. 1552. De hac Materia Concilium non nisi 17. Sept. 1562. Sess. XXII. edixit, ubi tamen aliqui e Canonibus hic propositis pene καταλεξίiv adoptati sunt.

Fol. 256. p. 2. Bulla Indictionis Concilij Tridentini. Anno 1542. ut T. cit. col. 1.

Fol. 263. Ad illustriss. ac Reuerendiss. Tridentinę Synodi Legatos et Anstites Francisci Maurolyci Abbatis (S. Marię de Partu) Siculi Epistola. Non memini, me de hoc scripto Viri disciplinis mathematicis clarissimi, qui ad Patriam Messanam octogenarius a. 1575. extinctus est, alicubi legere, nisi quod Mongitorius in Biblioth. Sicul. T. I. p. 229. ejus Epistolas excitat. Orditur vero: Si nunquam opus fuit Pontificum auctoritate, Principum Christianorum auxilijs, Theologorum opera, et Ecclesię sanctę precibus, hac nostra tempestate bis omnibus maxime indigemus. Mox collaudato

Concilii instituto ita procedit: *Indignor sepe egomet mecum, et uix auditis credo, penetrasse malum hoc usque ad extremas Bruttiorum oras, ubi oppidula, et uille quandoque affectant et imitantur isthanc Germanorum gymnosophistarum, ne dicam anthropophagorum inauditam et incredibilem temeritatem. O mores, o seculi ferruginei fecem! Quis ferat hominum ignorantissimos Calabros affectare opinionum nouitates! — Scatebant officinę Bibliopolarum nouorum auctorum, et precipue Germanorum opusculis, scholijs, prooemijs, epistolis, dialogis, quorum cognomina siue Theutonica, siue Germanica, siue Aethiopica uix, aut unquam ore latino proferri poterant, et iam pro Fabio, Cicerone, ac Liuiio celebrabantur Roterodamus, Melanchthon, Zuinglius et alia Germanię portenta, qui quasi bedere sequaces, ne dicam pestes, probatos auctores et sancta Theologorum volumina ita inuaserunt, ut nihil sine ipsorum preuia prefatione, nihil sine adnotationibus legi possit. Itaque nunc uirum arripiuntur Melanchthon et seuerius Erasmus, neue Nostrates solos vapulare putes, Bucacius et Ariostus fabulatores, Aretinus ille (Petrus) Principum parasitus, Francus (Nic.) Bernia (Franc.) et ceteri Tabernarum histriones, Vir quidam Gallicus, quem (Mich.) Nostradamum uocant, Geber, Arnaldus (de Villanova) Lullus (Raim.) Picus (Joh.) Agrippa (Corn.) et reliqui hujusmodi Alchymistę, Cabalistę, Ne-*

gromantę, item *Cardanus* (Hier.) *Cardone horridior*. Ostenso dein, quo modo his occurrendum sit, suadet *Breviarii*, *Calendarii*que reformationem reiectis *Pauli* (de *Middelburgo*) *Forosempron*. *Episcopi*, *Job. Regiomontani*, *Petri Pitati* et *Job. Stofflerini* conatibus *Claudit* tapdem memorandam *Epistolam*: *Hęc habui, quę submonerem Franciscus Maurolycus, inter diffidia et trepidationes dolium meum uoluens, et quamuis uerba mea non pluris, quam Elephanta muscam, faciatis, mihi tamen aliquatenus satis fecero &c. Messane in freto Siculo Kal. Octobris MDLXII.*

Fol. 268. Annotationes Canonistarum in Gallorum de Reformatione Postulata. Trifariam diuiduntur: In Petitiones, quibus jam prospectum est, quibus uidetur prospiciendum esse; et quę non uidentur admittendę, aut maturius considerandę. Singulae deinceps expenduntur.

Fol. 272. Collecta pro Materia de Votis Monachorum. In Genere et in Specie, cum Refutatione Assertorum Confess. Augustanae.

Fol. 286. Collecta pro Materia de Coelibatu. Ex Actis, ut dicitur, Ratispon. Eckii, Paulo Apost. et Iudicio Colon.

Fol. 288. p. 2. Consultatio de Responione danda Scriptis Bohemig missis a Reuerendo Nuntio Prospero S. Crucis, per Fratrem Hieronymum. Id est, ipsum Seripandum. Ad a. 1548. pertinet, quo, teste Pallavicino in Hist.

Conc. Trid. P. II. L. 10. c. 16. Sanctacrucius ad Rom. Regem Legatus iustus erat etiam Bohemorum reconciliationem curare. Agit uero breuiter de Communionem sub utraque, cultu Joannis Hussi, Sacramentorum Administratione, Potestate Ecclesiae, et Compactatis.

Fol. 289. p. 2. Observata varia de Postulatis Ferdinandi Imp. Gallorum et Lusitanorum a Concilio transmissa Pontifici; atque inter haec nominatim Iudicium Paleotti (Gabr.)

*Fol. 300. De Eucharistia quaedam: Petri Soti O. P. Annotationes in Decretum de Sacrificio Missę reformatum a Deputatis; item Decreti de Concessione Calicis Formę tres. Autor primae taceatur, secunda mox dicti Paleotti, tertia Vrbeuetani est nempe Sebast. Vantii. Sensu conveniunt omnes cum Decreto dato Sess. XXII. Accedit: Propositio quę mihi facienda uidebatur de Concessione Calicis, quę tamen facta non est hoc modo, sed nescio quomodo. Ingressus est solummodo ad Decretum, qui ita terminatur: *Vt ergo ex tanta sententiarum uarietate (vide Pallav. Hist. cit. P. II. L. 18. c. 4.) in qua carnis et satanę opera apparuerunt, ad fructum aliquem Spiritus perueniamus, non abs re fuerit formulam adinuenire decreti — cuiusmodi forte hęc est. Verba Seripandi puto.**

Fol. 304. Doctrina de Sacrificio Missę cum canonibus, concepta per Deputatos, reuisa per Serip. Ut Sess. XXII. Concilii.

Fol.

2331

SYNODICI.

2332

Fol. 307. *Replicationes circa Nonnulla ex Petitionibus Gallorum. Per Pal. Lego Paleottum.* Abruptae sunt in verbis: *Illustrissimi Cardinalis Boromaei.*

Fol. 309. *Litterae Imperatoris ad Legatos Concilij. 1562.* quarum initium: *Cum superioribus mensibus ad nos transmissi fuissent articuli quidam instituendae reformationis &c.* Merita fuissent ejusmodi Documenta majori fortasse jure locum in conciliorum *Tomis*, quam sacrae illae Orationes, quarum quaedam vix Res Concilii attingunt; interim praesentis Epistolae συνοψιν habes apud *Pallavic. P. III. L. 17. c. 5.*

Demum fol. 313. Postulata ἀκεφαλα Reformationis Disciplinae eccl. et morum, atque eorum postrema Reuerendissimi *Bracharenensis*, qui fuit *Bartholomaeus de Martyribus.*

DCCCCXLI.

R. 15 Codex chartaceus lat. ital. Sec. XVI, Folior. 274. 4. maj. est Pars II. *Adversariorum Hier. Card. Seripandi de Concilio Tridentino*, cujus praecipua haec sunt: Fol. 1. Acta varia in Concilio Anni MDLXII. inter quae potiora: *Capita XCIII. de Reformatione oblata mihi (Seripando) ab episcopis doctis et piis*, videlicet de Ordine sacro, Collatione Beneficiorum, eorum Reditibus &c. atque ex his *Articuli XVIII. desumpti et accommodati per Seripandum.* Item *Epistolae mutuae inter Franc. Torrensem Theol. Pontificis, et*

Petr. Guerrerum Archiep. Granatens. de verbis in Titulo Concilii: *Universalem Ecclesiam repraesentans*, quae omittenda ut superflua censebat *Torrensis* five *Turrianus* tunc nondum Jesuita, et post varia praecipue cum Hispanis tractata prolixa Differtatio *Job. Car. Bovii Bonon. Ep. Austun. five Ostunensis de Residentia Episcoporum.*

Fol. 43. *Actionum Tridentinarum Series a Die XIV. Jun. Anno MDLV.* Plus quidem, quam promittat haec inscriptio, quam recitat etiam *Felix Ossingerus* in *Bibl. Ord. p. 841.* inter *Seripandi* Inedita. Est enim Narratio historica ita exorsa: *Leo X. quo Pontifice maximo, et pontificatus annum omnino quintum gerente, qui a salute erat MDXVII. auditi sunt a Germania rumores, et liberioribus quedam aduersus indulgentias disputationes, satis fore existimavit ad motus illos compefcendos, si eius rei curam omnem Syluestro Prieriati sacri Apostolici Palatij magistro mandaret &c.* *Seripandi* haec esse liquet; sequitur enim mox: *Hoc Leonis consilium detexit mihi nondum adolescentiae metas egresso Hieronymus Fulginas Augustinensium procurator generalis, vir plane doctus et prudens, cum una Venetijs' essemus in maximo atque amplissimo illo conuentu, in quo Aegidio Viterbiensi, qui superiore anno creatus a Leone Cardinalis fuerat, Gabriel Venetus (Prior Generalis O. S. Aug.) suffectus est. Fuit is a sal. christi MDXIX. annus.* Magna sinceritate

Mm 3

tate